

emigrares qle in hac tuta incem.

par. s. no totat pna in m



IV.

DISPUTATIO

*Ad L. que de legato, 46. ff. de Legat. I.
una cum notat. per gl. & Dd.*

Quam

A. D. O. M.

sub presidio ordinario

V I R I

Amplissimi & clarissimi Dn.

MICHAELIS WIR-
THII LEOBERGENSIS J. U. D.
ET PROFESSORIS, DICASTERII
PROVINCIALIS SUPREMI, ET CON-
sistorij Electoralis apud Lipsienses ad-
fessoris meritissimi

Publicè discutiendam proposuit

VVOLFGANGUS ERICUS
à Brandenstein

In schola Ictorum hora &
loco consuetis, i. Febr.

Anno M. DC. X.

Lipsiæ

Typis TOBIÆ BERERI,

Valentin. Am Ende imprimebat.

SERENISSIMI POTEN-
TISSIMIQUE PRINCIPIS, AC DO-
MINI, Dn. CHRISTIANI II. Ducis
& Electoris Sax. consiliarijs prima-
rijs & intimis.

Nobiliss. Magnific. & prudentiss. viris.

Dn. Casparo à Schönberg/in Pultsnitz/
*supremi apud Dresdenses Appellationum judicij
Præsidi longè eminentiss.*


Dn. VVolffgango à Luttichau, in
*Kmelen, &c. Dominis suis & Patronis nullo
non observantia cultu prosequendis.*

Consecro Vobis, Nobiliss. Magnific. & pruden-
tiss. viri, Disputationem, superioribus diebus, à me in A-
cademiâ Lipsiensi publice propositam. Rationes cur id face-
rem, cum variâ impulerunt, tum istæ potissimum, primò
quod studia Juris Civilis excolueritis ipsi, & eâ felicissimo successu,
nec sine multorum applausu & commodo ad usum rerum gerendarum
olim transfuleritis, atq; etiamnum transferatis. Hinc illa nominis ve-
stri celebritas, non solum in eâ, qua fungimini, dignitate conspicuâ, sed
apud omnes etiam literatos latissimè diffusa. Deindè eximius ille me
convitavit & incitavit amor, quo uterq; flagrat erga parentem meum
charissimum, cujus hortamento & instinctu imò & exemplo in publicum
prodire non sum veritus. Scorsim etiam, & quasi perfunctoriè
hanc mihi addere liceat, quod Tu Nobilissim. Luttichau cum sacro-
sanctâ Baptismatis aquâ, abluerem, pro me fidei iuris Equidem faci-
le prævideo, Vos longè dignos esse majoribus; at majora, que offeram,
jam non reperio. Itaq; maximopere Vos rogo quæsoq; ut istas qua-
les, quales studiorum meorum primitias non fastidiatis, sed benevo-
lentiæ favorisq; vestri aurâ benignè fovearis, & me vobis commendatum
habere non gravemini. B. V. Nobiliss. Magnific. & prudentiss.
viri, & si quid votis possum, quam diutissimè Reipub. & mihiq; felices
vivite. Lipsiæ, XII, D. Feb. Anno C. D. I. D. C. X.

NN. VV. MM.

omni studio addictiss.

VVolffgangus Ericus,
à Brandenstein.



DISPUTATIO

Ad l. qua de legato, ff. de Legat. 1.

THESIS I.



CLEBRIS est Regula Juris
interpp. *Stipulationes & le-
gata pari passu ambulare, &
tibi invicem recte conferri.*

II.

Fundamentum suæ assertionis in
l. qua de legato, 46. ff. de legat. 1. positum
esse non obscure attestantur, quod an
nequeat subverti paulò accuratius
considerabimus.

III.

Sanè inficiari non possumus, id
quidem frequentissimè fieri, nec rara
hujus rei exempla in Jure Civili oc-
currere.

IV.

Ecquis enim (liceat nobis tralati-
ciè quædam proponere) non exactè no-
verit,

verit, olim stipulationem præposte-
ram instar legati præposteri, fuisse in-
utilem: (a) hodie jure novo & hoc (b).
& illam non improbari. (c)

(a) § item si quis, *Instit. de inutilib. stip. l. quod per ma-
nus*, 10. ff. de Jur. codicill. § ante heredis. *Instit. de Legat.
Cujus rei ratio erat in stipulatione: quia nature
ordo exigeret, ut prior esset obligatio, deinde exe-
catio, l. cedere diem*, 213. v. ubi sub conditione, ff. de V. S.
Gifan. ad d. §. item si quis, *Instit. de inutilibus stip. In
legato: quia testamentum ex heredis institutione
robore ac firmamentum sumeret, d. l. quod per ma-
nus*, 10. ff. d. Jur. codicill. *Ulpian. tit. Regular. 24. Paulus,
lib. 3. sentent. cap. 6. Cl. Chiffletius, de Jure fideicommiss.
lib. 2. cap. 5. (b) l. præposteri*, 25. C. de testam. d. §. item
si quis, *Instit. de inutilib. stip. Alexand. Turaminius, lib.
singul. de exaquat. legator. & fideicom. cap. 3. num. 13.
(c) l. ambiguitates*, 24. cum l. seq. C. de testam. l. cum pa-
ter, 77. §. fidei tue committo. ff. de Legat. 2. Ratio Juris
novi: quia voluntas potius, quam verborum so-
lennitas spectari debeat, tam in contractibus,
quàm in testamentis, *Donell. add. l. præposteri, num.
3. in fin. item Pet. Gilken. num. 1. & 2. Adde Foreat. in
Necyom, Dialog. 71. num. 5.*

V.

Lege Justiniani stipulationes hu-
jusmodi, post mortem meam vel tuam;
pridiè quàm moriar, vel pridiè quàm mo-
rieris

riervis, dare spondes? quas antiqui repudiabant, (a) receptæ sunt; (b) Ex ejusdem constitutione post heredis legatarii ve mortem, licet legatum, item ut fideicommissum, relinquere. (c)

(a) *Vel quia stipulationes essent ritus & formulæ solennes institutæ acquirendi causâ inter vivos, non autem post mortem.* Hotom. ad §. post mortem, Instit. de inut. stip. *vel quia paria essent, fieri aliquid tempore illicito sive inhabili, & conferri in tempus illicitum sive inhabile.* Per. Heigius, ad d. §. post mortem. (b) *l. scrupulosam, 11. C. de contr. vel com. stip. §. post mortem, Instit. de inutilib. stip.* Barnab. Brissonius, lib. VI. de form. & solennib. pop. Rom. verb. (c) *l. un. C. ut actiones ab heredib. & cont. hered. incip. §. post mortem, Instit. de Legat. Ratio cur Jure veteri non ita legatum relinqueretur, hæc fuit, Quia qui post mortem legaret, ab hereditate heredis legare videretur. quod erat contra leges receptas, teste Paul. lib. 3. sentent. tit. 6. §. post mortem. Rationem verò rationis h. e. cur ab hereditate heredis nihil relinqui aut legari potuerit, suggerit nobis vetus Juris Regula: Non posse actionem incipere, ab herede vel contra heredem. l. un. C. ut act. ab hered. vel cont. hered. Justinianus & veterem banc Regulam & ejus effectum sustulit. Ratio in d. l. un. redditur his verbis: Ne propter nimiam subtilitatem verborum latitudo contrahentium sive testan-*

A 3 tium

tium impediatur. Eruditè eruditiss. Gifan. ad § post mortem, Instit. de Legat. Alex. Turaminus lib. sing. de exaquat. legat. & fideicom. cap. 4 num. 3 & seqq. Quod dicimus fideicommissum post mortem olim valuisse, cum legatum non valeret, auctoribus Ulpiano, Regular. tit. 25. § fideicommissum. Marciano, l. filius fam. 114. §. sed si Titij, ff. de Legat. 1. ejus rei hæc erat ratio, quia fideicommissorum natura esset benignior & facilior; legatorum strictior. l. si fuerit 5. § si quis, ff. de Legat. 3.

VI.

In tempus mortis alterutrius rei, postve mortem tertii, cujusdam concepta stipulatio perpetuò valuit: (a) idem Juris erat estq; in legato & heredis institutione. (b)

(a) l. quodcumq; 45. §. sicuti, cum duob. §§. seqq. ff. de V. O. § ita autem, cum §. seq. instit. de inutilib. stip. (b) l. si pecunia, 12. §. fin. ff. de Legat. 2. l. heres meus 79. ff. de condit. & dem. l. si cum heres. 4. l. hujusmodi, 13. in fin. ff. Quando dies legat. l. extraneum, 9. C. de heredib. instit. Viglius Zuichemus, ad §. heres & pure, 9. num. 4. & 5. Instit. de hered. instit. Cujac. lib. 3. Observat. cap. 34. Leander Galganettus, lib. 1. de condit. & demonstr. cap. 57. Ratio, cur hæc conceptio, cum moriar, cum morieris, tam in stipulationibus, quam in legatis sit utilis, hæc est, quia utriq; per hanc formulam vivo adhuc stipulatore aut promissore, herede aut legatario conditio existit: siquidem momentum mori-

moriendi ad vitā potius, quā mortis tempus Ju-
risconsulti referebant, l. qui duos, 18. § hac conditio,
l. ult. ff. de manumiss. testam. contra quā multi olim
Philosophi, de quibus apud Agellium lib. 6. cap. 13. Fr.
Balduinus in Justiniano, lib. 1. Quod ad illam for-
mulam attinet, post mortem Titij dabis, satis
perspicua est ratio, eam & olim, & hodie valuisse,
cum sit in diem, nec adversetur Regula antiquae,
de qua in §. post mortem, Instit. de inutilib. stip. Gifan. ad
§. ita autem, tir. cod.

VII.

Omnes res, quæ usibus, dominioq;
nostro subjiciuntur, sive mobiles sint,
sive immobiles, tam corporales, quā
incorporales in stipulationem dedu-
cuntur: (a) quemadmodum & eadem
rectè legantur, (b)

(a) l. 1. §. si id quod ff. de O. & A. l. inter stipulantem,
§ 3. §. sacram, v. nam de his, ff. de V. O. l. si in emptione.
34. §. omnium, ff. de cons. empr. Ratio est, quia et si
obligationum substantia non in eo consistit, ut per
eas Dominium acquiratur, l. 3. ff. de O. & A. tamen
contractuum, & maxime quidem stipulationum
scopus & finis hic est, ut aliquid lucremur. Gifan.
ad pr. Instit. de inutilib. stip. (b) § tam autē, 21. Instit. de le-
gat. l. cetera, 41. ff. de legat. 1. Ea tamē non possunt lega-
ri, quæ juncta sunt edibus, d. l. cetera, §. 1. cujus rei,

Ratio

Ratio haec est, ne ruinis urbs deformatur, l. Praesor ait, 20. §. hoc interdictum, 10. ff. de oper. nov. nunc. l. 2. G. de privat. adif. l. ult. ff. Ne quid in loc. pub. Duaren. ad d. l. caetera, & Cujac. in Recitat. solennib.

VIII.

Neq; verò solum rem suam, sed etiam alienam quisque rectè promittit, (a) perindè atque non minus rectè & hanc & illam legat. (b)

(a) *pr. Instit. de inutilib. stip. l. is qui alienum, 51. l. continuus, 137. §. illud, in fin. ff. de V. O. l. si mihi alienum, 92. l. qui res, 98. §. arcam, ff. de solut. Ratio est: quia sicuti omnium negotiorum & contractuum causa stipulatio intercedit, l. s. v. conventionales ff. de V. O. ita etiam omnium istarum rerum, quae in contractum veniunt, stipulatio esse potest. Res alienare rectè venditur, l. rem alienam, 28. l. si in emptione, 34. §. omnium ff. de cont. empt. commodatur, l. commodari 15. cum l. seq. ff. commod. & c. quidni stipulanti quoque rectè promittatur? Gæddaus de contrah. vel commit. stip. cap. 6 num. 12. (b) l. cum servus, 39. §. fin. ff. de Legat. 1. l. unum ex familia, 67. §. si rem tuam, ff. de Legat. 2. §. non solum, Instit. de legat. Ratio videtur esse, quod licet res ipsa fortasse haberi non possit, ejus tamen aestimatio semper praestabitur, quare voluntas testatoris, quoquo modo potest, impleri debet, Gifan. ad d. §. non solum. Fr. Mantica, de conjectur. ultimar. volunt. lib. 6. cap. 11. num. 22. & longè plenius lib. 9. cap. 9.*

cap 9. Aemyl. Ferret. ad l. 1. ff. de Legat. 1. num. 23. Marcus Lycklama Juris studios. lib. sing. Quæst. 24.

IX.

Ea quoq; res, quæ in rerum natura non est, si modò futura est, omninò in stipulatione promitti potest: (a) non secus ut eæ, quæ futuræ sunt, legari possunt (b)

(a) veluti sunt, fructus pendentes, frumenta, quæ in herbis sunt, partus & foetus, qui sunt in utero, l. interdum, 73. l. inter stipulantem, 83. S. sacram, v. pro quo, ff. de V. O. pr. Instit. de inutilib. stip. l. nec emptio, 8. ff. de contr. empt. Ratio est, quia ejusmodi stipulatio ex natura ipsius rei videatur habere conditionē, si videlicet nascatur illa vel producat. Sed & factum, si ve opus potest promitti, ut domum edificari, de quo in d. l. interdum dicitur, tunc incipere actionem, cum ea domus per rerum naturam præstari potest. Ex quibus verbis (ut obiter hoc admoneamus) refellitur eorum opinio, qui putant in factis interpellationem requiri, b. e. eum, qui promisit domum edificari, non posse actione conveniri, nisi prius fuerit interpellatus. Anton. Faber. lib. 6. coejectur. cap. 7. Donell. ad d. l. interdum num. 2. (b) l. quod in rerum, 24. ff. de legat. 1. l. etiam ea, 17. ff. de Legat. 3. S. ea quoq; res Instit. de legat. Ratio est, quod fieri poterit, ut res hæc jam sint in rerum natura, antequam vel testator moriatur,

B vel

vel heres adeat. Siquidem eo tempore satis est rem
 exstare, ut prestari possit; quia tū demum vo-
 luntas defuncti rata constituitur & legata pre-
 stantur, l. si patroni, 55. §. qui fideicommissam ff. ad SC.
 Trebell. §. in extraneis, Instit. de hered. qual. & diff. Gi-
 fan. add. §. ea quoq; res, Jason ad d. l. quod in rerum, num. 2.
 Neg. tantum res, sed etiam facta legari possunt,
 §. tam autem corporales, v. sed & tale instit. de Legat. h.
 sicut, 49. §. fin. ff. de Legat. 1. Paul. lib. 3. sentent. cap. 8.
 Ulpian. Regular. tit. 24.

X.

Stipulatio non recte confertur in
 arbitriū promissionis; (a) multo minus
 legatum in arbitrium hæredis. (b)

(b) l. stipulatio non valet, 17. l. centesimis, 46. §. pen.
 l. ab Titio, 108. §. fin. ff. de V. O. l. hac venditio, 7. ff. de cont.
 empt. l. in vendentis, 13. C. cod. l. 2. §. Scævola. ff. de eo quod
 cert. loc. Cujac. Donell. ad d. l. stipulatio non valet. Ac-
 myl. Ferret. ad d. l. centesimis, §. pen. Anton. de Pa-
 dilla, ad l. 1. ff. de Legat. 2. num. 7. (b) l. Senatus, 43. §.
 legatum ff. de Legat. 1. ubi eleganter Duaren. l. si ita, 65.
 §. 1. ff. eod. l. si ita expressum, 69. ff. de condit. & demonst.
 l. fideicommissa, 11. §. quamquam ff. de Legat. 3. Ratio
 & in stipulatione, & in legato expressa est, in l. sub
 hac conditione, 8. ff. de O. & A. ubi ait Pomponius: Pro
 non dicto est, quod dare nisi velis cogi non possis,
 id est, frustra promittitur, frustra legatur, quod
 non possis cogi dare aut solvere. Gifan. ad d. l. sub
 hac, Marc. Lycklama, Juris stud. lib. sing. quæst. 5. Zaf.
 ad l.

ad l. si quis arbitrato, cum l. seq. ff. de V. O. num. 24. Cujac.
jac. lib. 2. Observat. cap. 2. Iacob. Schultes quest. pract. 26.

XI.

Ille qui bis idem sive rem eandem promittit, ipso Jure tantum semel tenetur: (a) in legatis quoque non dissimiliter hoc servatur, si eadem res saepius legetur in eodem Testamento. (b)

(a) l. qui bis idem, 18. l. si dari, 25. ff. de V. O. Cujac. in recitat. solennib. ad l. 1. §. Mela, ff. de dot. praet. Joh. Borcholt. ad t. de V. O. cap. 5. num. 96. Bern. VValtherus Miscellan. lib. 2. cap. 14. Gædd. de cont. vel com. stip. cap. 9. num. 136. (b) l. plane, 34. §. si eadem, cum §. seq. ff. de legat. 1. l. Mavius, 66. §. eum, l. Lucius Titius, 88. §. impuberem, ff. de Legat. 2. l. cum questio, 23. §. ult. C. de Legat. Ratio hujus conclusionis naturalis potius, quam civilis videtur, quia scilicet contra aequitatem naturalem sit id petere, quod jam habes, idque sine tuo incommodo vel onere, Gifan. add. l. qui bis, 17. de V. O. & §. si res aliena, Instit. de Legat. Hippolyt. à Coillibus. ad l. bona fides, 57. ff. de R. J.

XII.

Nemo rem suam stipulari potest nisi sub conditione, si sua esse desierit: (a) eadem conditio locum habet in legato, ut scilicet valeat, si res legatarij esse desierit. (b)

(a) l. scire debemus, 29. §. si à fure, l. si rem meam, 31.

B 2

l. cum



l. cum qui ita, 56. §. *qui proprietatem*, *l. nemo rem*, 82. *l. nemo rem*, 87. *l. existimo*, 98. ff. de V. O. §. *icm nemo*, *Instit. de inutilib. stip.* Ratio est, quia hac stipulatione contineatur dominium, siue quis stipuletur rem dari, siue simpliciter rem suam stipuletur, *l. ubi autem*, 75. §. *ult. ff. V. O. l. si ita*, 25. §. 1. ff. de *contrab. empt.* Gifan. *ad l. si rem meam*, 31. ff. de V. O. num. 3. Pet. Faber. *lib. 3. Semestr. cap. 11.* (b) *l. cetera*, 41. §. *tractari*, ff. de *Legat. 1. Marcius*, 66 §. *fundo*, ff. de *Legat. 2. §. sed si rem*, *Instit. eod. t. ubi ait Imperator*, Aded inutile esse hoc legatum, ut licet alienaverit eam, non deberi, nec ipsam rem, nec aestimationem ejus. Ratio est, quia nihil interest, quidne fiat tempore prohibito, an conferatur in tempus prohibitorium, *l. 4. C. de donat. ante Nupt.* Donell. *ad l. proprias*, 12. *C. de Legat.*

XIII.

Tàm ex stipulatu, (a) quam ex legato (b) debens certum hominem, ut Stichum, mortuo eo non aliter tenetur, quam si culpâ suâ dari desierit.

(a) *l. si ex legati*, 23. *l. inter stipulantem*, 83. §. *Stichum*, *l. mora*, 88. ff. de V. O. (b) *l. si ex legati*, *l. cum res*, 47. §. *sed si Stichus* & seqq. *l. si heredis*, 48. §. *si unus*, *l. quid ergo*, 43. §. *si heres*, ff. de *Legat. 1.* Ratio est, quia nemo tenetur ad impossibile, siue ab initio, ut si impossibile quid promittatur, *l. impossibile*, 185. ff. de R. J. siue ex post facto fiat impossibile, *l. in executione*, 85. ff. de V. O. Gifan. *ad d. l. si ex legati*, 23. Pet. Costalius, *in Adversar. ad l. quod te mihi*, 5 ff. de *reb. cred.* Gædd. *ad l.*

ad l. ut scui, 12. §. minus. ff. de V. S. num. 9. Borcholt. ad
l. de V. O. cap. 7. & 8. num. 73. Hotom. in tract. anat. de Morâ.

XIV.

In stipulatione, REM TRADI, factum est dividuum, cum Jus aliquod ei est admixtum: (a) id quod etiam de præstatione legati rectè statuatur, non est dubium. (b)

(a) Quod utiq. fit, cum ex causâ emptionis REM TRADI stipulamur. l. in conventionalibus 52. §. si quis vacuum ff. de V. O. l. ratio, 3. §. 1. ff. de act. empt. l. si stipulatus, 4. ff. de usur. Hac enim stipulatione continetur possessio, idemq. valet eo casu Rem tradi, & vacuum possessionem tradi. Jam vcrò vacuum possessionem tradi stipulatio non continet nudum factum: Continet enim causam bonorum sive Jus aliquod, nempe Jus possessionis, quæ possessio non est nudum factum atq. meri facti, l. possessio quoq. 49. ff. de acq. vel am. poss. Accuratissimè Gifan. ad l. stipulationes non dividuntur, 72. ff. de V. O. item ad l. 4. eod. tit. num. 66. & seqq. ubi refellit Molinæum in extricacat. Labyrinth. Divid. & individ. part. 2. num. 278. varias variorum opiniones refellentem. (b) l. turpia. 54. §. ult. l. si tibi homo, 86. §. si fundus, ff. de legat. 1. Ratio est quoniam hæc præstatio rei non est nudum factum, sed Jus potius, cum emergat ex legato, quod est acquisitio Dominij, ut liquido patet ex §. ult. Instir. Per quas Person. nob. acq. At quem latet, quod Dominium sit Juris, quod sit dividuum, cum possint duo ejusdem

dem rei esse domini pro parte indivisā? l. siue certo,
 §. ult. ff. commod. Eguinar Baro de divid. & individ. obli-
 gat. lib. 2. cap. 4. & 7. Ant. Contius 1. Disput. cap. 8. Ar-
 nold. Baërt. De eo quod inter est. num. 56. Ant. Faber lib. 6.
 coniect. cap. 13.

X V.

Generum plane incertorum stipu-
 latio nō valet aliorum valet; (a) idemq;
 & delegato statuendum. (b)

(a) l. cum post divortium, 69. §. gener. ff. de Jure dor.
 l. in stipulationibus, 54. l. ubi, 75. ff. de V. O. (b) d. §. gener,
 l. cum incertus, 13. ubi, Cujac. in recitat. solemnib. l. legato
 generaliter 37. ubi sciit Fr. Duaren. ff. de Legat. 1. l. heredes,
 25. §. cum incerto, ff. fam. ercisc. Paul. lib. 3. sentent. tit. 6. §.
 legatum nisi rei certa. Omne quidem genus est incer-
 tum: sunt tamen alia genera aliis magis incerta,
 V. G. Fundus magis est incertus quam homo. Ratio,
 quia hominis natura habet descriptionem & ma-
 gnitudinem naturaliter certam; sed fundi ma-
 gnitudo nulla est naturaliter certa. Fundorum
 siquidem nomina non naturā constituuntur, sed
 nostrā destinatione, ut ait Pompon. l. quod in rerum,
 24. §. pen. ff. de Legat. 1. Posset enim vel unus cespes
 dari pro fundo, quod in homine, equo, bove recipi
 non potest, eorum enim est naturalis & certa ma-
 gnitudo. Gifan. ad l. in stipulationibus, 54. ff. de V. O.
 stem ad §. si generaliter, Instit. de Legat. Donell. lib. 8. com-
 menta. de Jure civil. cap. 19.

Homi.

XVI.

Hominis liberi operæ in stipulationem possunt deduci; (a) sicut & legari, (b)

(a) *l. hominis*, 3. ff. de usu & usufr. leg. l. si non sortem, 26. §. libertus, v. sed si delegatus, ff. de condict. indeb. l. opera in rerum, 9. ff. de oper. libert. l. si vestram, ii. C. de ingen. manumiss. Paul. lib. 2. sentent. iiii. de Legat. (b) *d. l. hominis*, 3. ff. de usu & usufr. leg. ubi Gl. Accurs. & Cujac. in Recit. solennib. Sichardus, ad l. fin. C. de hered. instit. n. 6. Ratio facile in promptu erit, si animo recolamus in personis liberis quædam esse, quæ communicari possint, quædam esse quæ non possint. Operæ personarum rectè communicantur, & in commercium veniunt, præcipuè cum sint private, atque ex singulorum voluntate pendeant. Libertas & corpus communicari non possunt. Cur non illa? quia publica potius res est, quam privata, l. si quis rogatus, 53. ff. de fideicom. libert. cur non hoc? quia nemo dominus est suorum membrorum, l. liber homo, 13. ff. ad L. Aquil. l. i. §. & generaliter ff. de veni. in poss. mit. Gifan. ad l. si quis absentis, 5. ff. de O. & A. num. 19.

XVII.

Falsa causa stipulationi non nocet; (a) sed nec legato, nisi conditionaliter expressa sit. (b)

(a) *l. si divorcio*, 21. ff. de v. o. Ratio est, quoniam hic error, hæc causæ falsitas non ingreditur contractus

tractus substantiam, nec dissensum generat in ipso, quod tractatur negotio. Est igitur stipulatio per se sufficiens & efficax causa, nec quod promittitur, potest dici sine causa deberi, Gædd. de cont. vel com. stip. c. 3. v. 54. Forcat. in Necyomant. Dial. 71. num. 4. (b) d. l. si divorcio, §. sed si uxori, Instit. de Legat. l. demonstratio, 17. §. 1. & 2. l. quibus, 40. §. qui dotalem, l. tale, 72. §. falsam, 6. ff. d. condit. & demonstr. Ratio est, quia causa legandi non coheret legato, d. l. cum tale, §. falsam, Itaq. satis est, si de voluntate testatoris constet, ut legatum valeat. Cur voluerit, non pertinet ad substantiam legati. Gifan. ad d. l. si divorcio, num. 2. Leander Galganet. lib. 2. de condit. & demonstr. cap. 2. Quæst. 1. & cap. 4. Quæst. 2. Angel. Matthæac. lib. 3. de Legat. & fideicom. cap. 5. Guil. Fornerius, lib. 3. select. cap. 5. Donell. lib. 8. com. cap. 14.

XVIII.

Generale est præceptum Juris, ut duæ lucrativæ causæ non concurrant, de eadem re in eundem hominem, non tantum in stipulationibus; (a) sed etiam in Legatis (b)

(a) l. omnes debitores, 17. ff. de O. & A. l. inter stipulantem, 83. §. si rem, l. existimo, 98. v. is q. ex lucrativa, ff. de V. O. l. non quocunq. 82. in pr. v. nam etsi, ff. de Legat. 1. Cujac. in Recit. Solen. ad d. l. non quocunq. (b) §. si res aliena Instit. de Legat. d. l. non quocunq. 82. §. fin. l. hujusmodi, 84. §. si Titio Stichus, ff. de Legat. 1. Anton. Faber. lib. 6. coniect. c. 8. Franc. Connan. commentar. Jur. Civ. lib. 6.

lib. 6. cap. 2. num. 6. Ratio est, tum quia quod quis habet, petere amplius non potest, ut ait l. Titia Scio, 87. ff. de Legat. 2. tum quia quod nostrum jam est, amplius nostrum fieri non potest. Gifan. add. l. omnes debitores, 17. ff. de O. & A. num. 5.

X I X.

Ex his aliisque facile apparet, quod non sit planè de nihilo, paria esse stipulationes & legata. An porro in omnibus? Minimè.

Multæ in Jure occurrunt species, in quibus aliud cautum reperitur. Vid. Jason. & Duar. ad h. l. qua de legato, item Daniel. Mollerum lib. 5. semestr. Gifan. passim ad t. de V. O. Gædd. de contrab. vel com. stip. cap. 3. num. 59. cap. 4. num. 104. cap. 8. mem. 125. cap. 11. num. 29. & num. 43. Connan. lib. 6. com. cap. 3. num. 2.

X X.

In stipulationibus homine generaliter promisso, & Sticho per errorem soluto, conditio datur solventi, (a) in legatis heredi non datur repetitio. (b)

(a) l. cum is, 32. §. fin. ff. de condit. indeb. Duaren. in d. t. cap. 9. Car. Molinæus in extricat. labyrinth. Di. vid. & indroid part. 2. num. 135. (b) l. si is cui, 19. ff. de Legat. 2. Fr. Balduin. in Justin. lib. 2. Rationem hanc adfert Gifan. Alciatum sequutus, ad l. 2. ff. de V. O. nu. 20. quodcum stipulatio generis, ut & disjunctiva sit quodammodo conditionalis, conditio in contra-

C

Etib.

Et ibi retrotrahatur à tempore existentis conditionis usq; ad tempus antea initi contractus: sed in legatis non retrotrahatur à tempore existentis conditionis usq; ad tempus mortis.

XXI.

Stipulatione REM RESTITUI, facta arbitrato Titij, non recedendum est à persona arbitri, quo non arbitrante, contractus evanescit: (a) Legato, si arbitrium Titij fuerit adscriptum, tùm debetur illud cujusvis boni viri arbitrio, etiam si ille arbitratus non fuerit.

(a) *l. si quis arbitrato, 43. ff. de V. O.* Daniel Mollerus, *lib. 5. semest. diff. 10.* Nic. Cifherus *ad §. praterè à 31. Instit. de act. num. 7.* M. Lycklama *Juris stud. lib. sing. Quæst. 5.* (b) *l. 1. §. Sed cum ita, ff. de Legat. 2. l. fideicommissa 11. §. quamquam, l. si filie pater. 43. ff. de Legat. 3.* Gædd. *de contrab. vel com. stip. cap. 8. num. 169.* Leand. Galgan. *de condit. & demonstr. part. 1. cap. 25;* Ant. de Padilla *ad l. 1. ff. de legat. 2. num. 32.* Alberic. *Gentilis lect. & epist. lib. 1. cap. 19.* *Ratio differentia hæc est, quia plenior & liberalior censetur voluntas testatoris, quam contrahentium, id est, testator, qui quid legat, cupit omnimodò id pervenire ad legatarium, undè non tam strictè personam arbitri in testamento interpretari debemus, ne faciamus contra voluntatem testatoris: At in stipulatione alijsq; contractibus eandem*

dem conditionem, strictius interpretamur, l. si cum dotem. 22. ff. solut. matrim. Gifan. add. l. 43. num. 10. ff. de V. O.

XXII.

Pecunia certa, IN ANNOS SINGULOS promissà, puta X. non ideo plures stipulationes esse intelliguntur, quod plures summæ, pluresq; præstationes sint: (a) aliud in legatis est constitutum. (b)

(a) *l. si Stichum, 16. §. 1. l. eum qui ita, 56. §. qui ita stipulatur. ff. de V. O. §. at si ita, 3. Instit. eod. tit. (b) d. l. si Stichum, 16. §. 1. l. si in singulos, 4. Et passim t. t. ff. de annuis leg. l. cum in annos, 10. cum duab. ll. seqq. ff. Quando dies legat. vel fid. ced. Zaf. ad l. si ex legati, 23. ff. de V. O. num. 23. Gregor. Lopez. Animadvers. Juris civ. lib. sing. c. 19 Paul. Badius, subtilit. Jur. lib. 5. cap. 2. Ioh. Yannez. Parlador. Rerum quotid. lib. 1. c. 1. §. 13. nu. 7. Et seqq. Ant. Goveanus, in l. 1. §. si in annos, 16. ff. ad L. Falcid. Jac. Røvard. ad l. cum tempus, 17. ff. de R. I. Ratio differentie inter hoc legatum Et stipulationem, in annos singulos, hæc est, quia hoc legatum fiat, ut certa personæ consulatur, puta legatario, Simon. de Prætitis, in tractat. ultim. volunt. lib. 4. Interp. 3. dubit. 3. cap. fin. num. 8. VVesenbec. in Paratiul. ff. de annuis Et mens. legat. num. 2. sed stipulatio non fit eo animo, ut consulatur certa personæ, puta soli stipulatori, sed potius fit lucri perpetui causâ, id est, ut Et stipulatori, Et ejus heredibus consulatur ac profit. Gifan. add. l. 17. de V. O. num. 10.*

C 2

Fun-

XXIII.

Fundus hostium in stipulatum deduci non potest: (a) legari potest. (b)

(a) *l. liber homo, 103. ff. de V. O. Cujac. ad l. inter stipulantem, 83. ff. eod. Gædd. de contrah. vel com. stip. cap. 6. num. 43.* (b) *l. ab omnibus, 104. §. etiam, ff. de Legat. 1. Cujac. in Recitat. solen. & Duaren. ad l. id quod apud hostes, ff. de Legat. 1. Baro. ad §. non solum, Instit. de Legat. Donell. lib. 8. comment. de Jure civil. cap. 11. Ratio differentie est, quia legata tractum habent, id est, fieri potest, ut tempore legati fundus non sit in commercio, sed tempore mortis sit, & parari sive emi possit. Longè aliter comparatum est in stipulatione, quæ non secundum futuri, sed presentis temporis Jus aestimari debet, *l. usufructus 26. ff. de stip. serv. Gifan. add. l. liber homo, 103. de V. O. num. 5.**

XXIV.

Servus hæreditarius usumfr. non acquirit hereditati, si stipulatur; (a) si verò eidem legetur ususfr. hoc legatum valet. (b)

(a) *l. usufructus, 46. ff. de stip. serv. Gædd. cap. 10 de cont. vel com. stip. num. 59. Fr. Connan. lib. 6. com. Jur. civ. cap. 4. num. 2.* (b) *d. l. usufructus, l. si seruo, 18. ff. Quibus. mod. ususfr. vel usus amitt. l. qui legata, 18. ff. de R. J. Ratio differentie cur legatum ususfr. hic valeat, stipulatio non valeat, hæc est, quia stipulatio statim ab initio ex presenti vires accipit, licet
petitio*

petitio ex eâ sit suspensa: At hujus legati, nempe ususfructus dies non statim cedit, id est, non ante aditam hereditatem, l. 2. § 3 ff. Quando dies legat. ced. Gifan. ad l. hereditas 61. ff. de acq. rer. dom. num. 5.

X X V.

Impossibilis conditio cum in faciendum concipitur, stipulationibus obstat; cum in non faciendum est utilis: (a) sed in legatis planè pro non scriptâ habetur. (b)

(a) *l. impossibilis, 7. l. continuus, 137. §. si ab eo, cum §. seq. ff. de V. O. l. impossibilium 185. ff. de R. F. §. impossibilis, 11. Instit. de inutilib. stip. l. non solum, 31. ff. de O. & A. Connan. lib. 6. com. cap. 4. num. 7. (b) §. impossibilis, 10. Instit. de hered. instit. l. obtinuit, 3. l. multa, 6. cum l. seq. ff. de condit. & dem. l. 1. l. si qui ita, 4. §. idem, l. mulier, 20. ff. de condit. instit. Cujac. in Recitat. sol. ad. l. non solum, 31. ff. de O. & A. Leand. Galg. lib. 2. de condit. & dem. cap. 1. Quæst. 83. Simon de Præcis in tract. ult. volunt. Interp. 1. Dubit. 1. num. 73. Rationem dissimilitudinis hanc reddit acutiss. A. Faber lib. 6. conject. c. 12. quod in contractibus obligatio nasci non possit, nisi ex consensu utriusq; contrahentium, quorum talis cogitatio esse videtur, ut nihil agi existiment apposita eâ conditione, quam impossibilem esse sciunt, l. non solum, 31. ff. de O. & A. At in testamentis & legatis nihil nisi voluntatem testatoris intuemur, quam certe verisimile non est frustra & inutiliter testari voluisse, ut proinde longe utilius*

C 3

§

Et humanius sit impossibilem conditionem rejici,
quam suprema defuncti hominis iudicia, quæ am-
plius reformari non possunt, intercidere, quæ ex
contrario exitum habere non testatorum tan-
tum causâ, sed publicè quog, expedit l. vel nega-
re, 6. ff. testam. quemad. ap.

X XVI.

Dolum & latam culpam, quæque
in committendo duntaxat consistit,
promissor præstat: (a) circa legata hoc
observatur, ut heres etiam de levi cul-
pâ, de quæ eâ quæ versatur in non faci-
endo teneatur. (b)

(a) l. si ex legati. 23. l. si Stichus, 33. l. is qui, 51. l. nemo,
32. §. si post moram, l. si servum, 91. ff. de V. O. l. quod te, 5.
ff. de reb. cred. Anton. Contius in prælectionib. doct. ff.
ad l. contractus, ff. de R. J. (b) l. cum res, 47. §. culpa
autem, l. si servus, 108. §. cum quid 12. ff. de Legat. 1.
Ratio diversitatis hæc est, quia in legatis versa-
tur utriusq, Et heredis Et legatarii causa Et uti-
litas, non minus quàm in emptione emptoris Et
vendedoris, in locato locatoris Et conductoris Et c.
Et heres idè hereditatem adit eamq, cõsequitur,
ut legata præstet, §. item heres, Instit. de Obligat. que
quali ex delicto nasc. inde instar vendoris, instar
locatoris teneri heredem legatario de lata Et le-
vi culpa ait Africanus in d. l. si servus, 108. §. cum quid
ff. de legat. 1.

Alia



XXVII.

Alia stipulationis & legati differentia ab alijs exponuntur. Nobis has proposuisse sufficiat, ex quibus perspicue palam fiat, quod Juris est in stipulatione, non semper obtinere circa legatum,

XXVIII.

Restat ut asseramus dextrè *l. qua de legato, 46. ff. de Legat. i.* illos explicasse, qui voluerunt eam conjungendam esse § §. *duob. l. precedentis*, ut scilicet ea, quæ dicta fuerant de discrimine generis & speciei in legato, locum quoque haberent in stipulatione,

XXIX.

Sicut ergo in legato distinguitur inter hominem generaliter legatum, & certum hominem: Idem servatur si quis dare promiserit vel certum hominem, vel hominem generaliter.

XXX.

Præterea quemadmodum in stipulatione hominis generaliter concepta, electio est debitoris: ita etiam in legato est heredis,

Inter

Inter insigniores legatorum per vindicationem & per damnationem differentias, etiam haec erat, ut si cui homo aut genus aliud, vel duae res disjunctim per vindicationem legarentur, legatarij electio esset, quam ex contrario heres habebat, si per damnationem ab eo legatum fuisset, l. plane, 34. §. pen. l. legato, 37. l. si a substituto, 45. §. 1. ff. de Legat. 1. l. si is cui, 19. l. Lucio, 23. l. si ita relictum, 43. §. ult. ff. d. Legat. 2. Hanc ipsam differentiam eruditiores plerique nec hodie esse sublatam existimant, quorum sententiam cum Ant. Fabro, lib. 6. conject. cap. 1. statuimus esse verissimam, non eam tantum ratione, quod ex testatoris voluntate potius, quam ex verbis descendat: sed quod apertioribus verbis non potuerit testator exprimere, utri electionem datam vellet, heredine an legatario, quam cum vel legatarii vindicare iussit, vel heredem dare damnavit. Idem est, quod Justinianus scribit in §. si generaliter, Instit. de legat. Si generaliter servus, vel alia res legatur, electionem esse legatarij, nisi aliud testator dixerit, hoc est, nisi ab ipso herede legatum dari testator iusserit. Adeo nihil absurditatis importabit conclusio nostra ultima, quam magis magisque illustraverit Aemyl. Ferret. ad l. si ita sit, 14. ff. de Legat. 1. num. 36. Alciat. lib. 3. Parerg. cap. 1. Cujac. in Recitat. sol. ad l. legato, 37. cod. Fr. Balduin. in Justin., lib. 2. Pct. Faber, lib. 2. Semest. cap. 22. pag. 300. & seq. Donell. lib. 8. comment. cap. 19.

COROL.

COROLLARIA.

I.

An illata & inuenta in pradium rusticum citra expressam conventionem pignori obligentur?

II.

An detur illi de Evictione actio, qui sciens rem alienam, alteri se obligatam emerit, adeo ut precium eo casu possit recuperare?

III.

An contractus, cui causam dolus dedit, ipso jure valeat nec-ne?

IV.

An femina possint administrare Republicam?



D

Ordina-



Ordinarius, Senior & reliqui

DD. Facultatis Juridicæ in Aca-
demiâ Lipsensi

L. S.



Uemadmodum veritatis lu-
ce, secundum Tullium men-
ti hominis nihil est dulcius
aut salutarius: Ita veritatis
investigandæ ratio nulla est melior aut
facilior, quàm contrariorum diligens
collatio atq; disquisitio. Siquidem so-
la hæc ars, ut idem Tullius loquitur,
habet rationem, ne cui falsò assentiamur,
nevé unquam captiosa probabili-
tate fallamur: eaque quæ de bonis &
malis diceremus, ut tenere tueriq; pos-
simus, sine qua arte quemvis à vero ab-
duci falliq; posse consentaneum est. I-
taque Peripatheticorum Academiaq;
consuetudo de omnibus rebus in con-
trarias partes differendi, etiam Oratori
semper placuit: non eam solùm ob
causam

causam, quod aliter non possit, quid in una quaq; re verisimile esset, inveniri: Sed etiam quod esset ea maxima dicendi exercitatio. Quod cum in omnibus alijs disciplinis & artibus, tum verò maximè in Juris scientiâ manifestum est: in quâ & ipsa singularum causarum ad singulas leges recta accommodatio, & contrariorum sedula collatio, & in utramq; partem disceptatio accurata, non solum viam aperit veritati indagandæ: Verum etiam disciplinæ hujus Studiosos in ipsius Jurisprudentiæ quasi conspectum & in atrium Justitiæ penitus adducit. Quâ in re quam assidui & diligentes fuerint veteres illi Jurisprudentiæ nostræ autores & principes, satis ostendunt tot præclara & egregia eorum responsa ac monumenta, quos & ipsos tum notando, tum disputando bene & optima ratione multa in Jure decrevisse testatur A. Arcadius Carelius: & sane Servium Sulpitium unius hujus artis præsidio Jurispru-

prudentiæ principatum adeptum fuisse M. Tullius scriptum reliquit. Quamobrem si laudanda est & prædicanda illorum industria & solertia, qui una cū diligenti investigatione ac repetitione sacratissimarum legum præclaram hanc disputandi rationem conjungunt: Equidem inter omnes ferè nobilissimos Juris studiosos primas hujus laudis partes Nobilissimo Juveni VVOLFFGANGO ERICO à BRANDENSTEIN damus ac Jure asseribimus: utpote qui feliciter hætenus per legitimos civilis sapientiæ tramites ingressus, vestigijs Parentis (Viri Nobilissimi & Magnifici, & in quo quasi lumen quoddam elucens summa illa decora & ornamenta, sanctitas in religione, justitia in administranda repub. in communi vita moderatio, prudentia cū exquisita doctrina, eloquentia, autoritate & dignitate, singulariq; humanitate, conjuncta) fide auspicato & fausto inhæret. Non enim solum publicam doctrinam audien-

diendo, privatim reperendo laudabilem in illius studij tractatione adhibuit diligentiam; Sed etiam differendi exercitia publica magni semper fecit: ut quem non modo in his crebrò vidimus: Verùm etiam aliquoties ingeniosè, acutè, eruditè, placidè tamen & comiter disputantem audiuius: præsertim in salebrofæ illius materiæ disputatione, quam sub præsidio clarissimi viri Dn. Michaëlis VVirth Junioris J. U. Doctoris, Professoris ac supremi iudicij Curiaë Electoralis & Consistorij Ecclesiastici Assessoris habuit. Meritò igitur gratulamur tum Dn. Parenti de filio optimo, tum eidem de felici successu: omniaq; fausta & fortunata à DEO opt. max. precamur, Interim eundem gravissimo illo sapientissimi Socratis iudicio atque eulogio ornatum & condecoratum dimittentes: *Generosum esse & omni favore dignum ingenium, cui cordi sint civiles disciplina.* Spes quoque insuper

nos pulcherrima fovet, fore ut etiam legitimo opere & cursu perfecto, Rempub. aliquando in partibus ejus sibi credendis rectissimè gubernare possit. Majoris fidei ergo literas has publico facultatis nostræ sigillo muniri curavimus, quæ dabantur Lipsiæ,

VIII. Idus Februarij,

Anno 1610.



Nobiliss.

204
Nobiliss. Adolescenti
Dn.
WOLFGANGO ERICO
à Brandenstein/

*Magnifici Nobiliss. & strenui viri, Dn.
ESAIÆ à Brandenstein / in Op-
purgt / Grünaw / Krobitz & Knaw/
sereniss. Principi ac Domino, Dn.*

CHRISTIANO II.
Saxonix Ducis & Electori

*A Consilij secretioribus & Judicij supremi
Electoatus Præsidiis amplissimi, filio,*

Cum publicè de Iure in Academia
Lipsiensî summâ cum laude
disputasset.



L I P S I Æ,

A N N O

M. DC. X.



E I Δ T A A I O N .



Obilis à BRANDSTEIN in KNAU, venerabile
Juris

Numen, consilij Eloquioq; potens; (tenti;
Cognitus ENSIFERO IMPERII est satis Ipse po-
Dux, tibi nota viri est, JANE GEORGE, fides:

Notus & illustri, cui clara LTPSIDO surbe

Cum laude eximiâ præsudet Ipse, FORO.

Hic vir, Hic est, claro cujus de sanguine surgit

VVOLFANGUS, PHILTRÆ lausq; decusq; scholæ.

Quem laudat pietas; virtus quem propria clarat,

Quem magnum extollit nomen honosq; patris;

Quem genus exornat, pulcræq; in imagine ceræ;

Quem decorant mentis plurima dona pie.

Strenuus Hic volvit sinuosa volumina JURIS;

Nec sinit ingenium nobilitate premi.


Disputat argutè, legumq; resolvit acutè

Nodos; testantur quod satis, ecce, THESESES.

Ille Idem majora dabit, cum creverit ætas;

Ac fiet gentis FAMA SECUNDA sue.

Marcus Korschheidt / U. J. D.



EUnomia, in cunis VVOLFANGUM, vidit, ERICUM,

Per mihi, dicebat, nomina bella placent.

Nam benè procedet sacra Juris in arte,

Hinc summi merito dives honoris erit.

Atq; mihi posthac sit prosper honorius usq;

Delicium proprium præcipuumq; Jubar.

E

Quod



Quod primum in Philyra incipiet radiare Lycaeo,
 Brumam vix sextam viderit ut decimam.
 Admirabuntur cuncti, intenti ora tenentes,
 Cum Cathedram digno publicam honore petet,
 Et praesente Patrum magnam iuuenumq; coronam,
 Nodos difficiles per facilem expediet.
 Doctrinae in stadio iam claros vincere fratres
 Cursu nitetur nocte dieq; suos.
 Ac virtute patrem (labor hic) aequare, loquentis
 Os Juris, columen totius & patriae;
 Consilium intimius, sincerum cor, & amorem
 Principis Ensiseri Saxoniae atq; domus:
 Hunc veluti commune bonum mirantur, honorant
 Subditi, & agnoscunt imperij proceres.
 Addidit hisce Dice gaudens complura futuro,
 Quae passim referet fama vetusta die.

Casparus Jungerman Philosophiae & J. U. D.

Gaudet oratq; tribus, cui nulla in carmina vires,
 Nec datur imparibus nec tere verba modis.
 Te decorat vultus, VVolffgange Erice serenus,
 Es bonus ingenio, moribus esq; bonus
 Iudicium Pallas, mentem formavit Apollo:
 Hinc quibus excellas, munera dives habes.
 Extollant alij magnas in corpore dotes:
 Gaudeo ego ingenium non latuisse tuum.

Josephus Avenarius D.

Nobi

NOBILIS hæc demum propria & verissima laus est,
Virtute acceptum nobilitare genus.

Est aliquid patris, & proaviq; Ataviq; labores

Atq; aliena suis facta referre typis.

Major at æquato surget tibi gloria cultu,

Si similis patribus sit tua vita tuis.

VVOLFGANGE ERICE ò generis prænobile sanguen

BRANDSTENII, & patrij fama futura soli.

Quisnam eat inficias, si sic perrexeris, ut jam

Pergis, posse tuum te superare genus?

Ipse ego te vidi contendere ad omnia summa,

Ante annos animus nempe virilis erat.

Cæsarei tibi jura fori, Romanaq; cordi

Sunt tibi, in imperio jura probata sacro.

Cæsareos tibi sancta Themis depōnet honores,

Cæsaris ad dextrum te latus illa vehet.

Non genus hoc solùm posset præstare: sed artes

Hoc generi præstant, nobilitantq; genus.

Caspar. Facius Ill. Sax. Ducum

Altenburg. Præceptor.

BRANDENSTEIN LADA in teneris qui primulus annis
Ætatem exuperare tuam virtutibus audes;

Obstupeo, mentis quod tam conamine forti,

Vires ingenij censendum cuiq; propixes!

Vix terni properas spacium dissolvere lustri,

Et tamen haud dubitas, promptè mysteria legum.

Pandendo, in Themidosprodire atbleta theatrum.

O vis ingenio major, memor, abileq; ausum!

Anni adeo ad spectu lucis, certoq; probari

Judicio gaudes Astrææ, & Juris amore?

E 2


Scili-

Scilicet exemplum perrarum, imitamine magno,
 Nobilium genti proponis, ut, ardua, cernant,
 Dignosci studijs potius, multoq; labore,
 Quam varijs frustra jactari stemma figuris.
 Qui nitidas Veneres, sua vel scortilla sequuntur,
 Dantq; pudicitiam pessum, seu dolia Baccho
 Expurgent madidi, spirantes grandia fastu,
 In viscoq; lutoq; suo brutescere linguis.
 Nil igitur mirum, te jam quod publica grato
 Pulpita suscipiant plausu, dum legibus uti,
 Ne sine lege loqui fas credis, & aurea scita
 Prudentum dubijs gaudes evolvere tricis.
 Nec mirum hoc debet tibi, Livor inepte, videri,
 Ante quod et atem jus calleat omne disertus,
 Et facili intuitu cernat blaterare sophistas,
 Hoc puero in seruit Themis olim; Pallas & ipsa
 Hunc sibi delegit proprium. Gratamur id omnes;
 Et totum è reliquis tibi solvo in gaudia pectus,
 Quod Fratres, animo referas, vel vincere certes,
 Ingenioq; arveas, G V O L F G A N G E, beare parentem,
 Cui me, non memini, factis vidisse priorem,
 Publica consilij ceu passim commoda firmat.
 Namq; gerit consultum, & promptum in corde senatum,
 Quem jure è medio profert, ut eo instruat aulas,
 Addatq; imperio nervos bene cuncta regendi,
 Nec temere in summis quid peccet Curia rebus.
 Quam Suvadâ valeat prædulci, & dirvite, venâ
 Nestoreæ mentis, Danaum Neptunus ad Arcton.
 Et

Et memori procerum conventus laude celebrat,
 Hinc est quod stet culmen ei sublime paratum,
 Præcipuos inter regni terræq; Dynastas:
 Seu quem justitiæ dotes, aut gratia morum,
 Aut mage virtutum series congesta requirat,
 Pro cunctis unus satis est BRANDSTEINIUS illis,
 Qui fidum Enfigero Regi se præstat Achatem,
 Nullum onus effugiens, nec quis sibi gratior Heros
 Devinxit populos meritis, virtutis & usu;
 Quò melior patriæ res dehinc fulcire valebit.
 Tu patris hoc factò, dulci quoq; nomine fratrum
 Arduus incedas, nec in ipso culmine cesses,
 Omnia plana tibi facies; quàm cætera resistent,
 Quæ legum tabulis jungas, ut regula vitæ
 Firma tibi ad varios stet casus: semina morum
 Discas à vanis hominum discernere nugis,
 Quando venenatis sese ingerat artibus Olphus.
 E centum, invenies, & multò millibus, unum
 Vix cui credendum, dum te simulatio palpet,
 Dignus amicitia num sit, qui pectore nigro,
 Nec certæ fidei, vani candoris, aperto
 Vel neget hoc animo, quod præstet amore fideli?
 An par est, facili censu, quoscunq; bonorum,
 Invidiosè alios, ob rem, perstringere, laudis?
 Neminiobesse, boni cujusvis postulat ordo.
 Crede mihi, heic temerata fides haud numen habetur.
 Si bene te novi, bullatis nubibus umbram
 Heic minus arripies; te alium præludia spondent,

*Si licet enato metiri ex cespitem essem,
 Addere q; auspiciū, Procul hauderit, omnia ver.
 Quū poteris propius rationis luce tueri.
 Interea haud cesses, acuisse in Codice mentem,
 Claraq; sacrarum tractare negocia legum,
 Ut, te, omnes videant, juris prodire patronum,
 Quī patriæ praesit, quū poscat curas salutis,
 Et malus indoleat, justus se stare triumphet.*

Joan. Angelius VVerdenhagen.



ESSE fatum celebri & generoso stemmate magnum est.
 Et proavū in multas hinc indeq; cernere pictas
 Ordine densato formas: virtutis honoræ
 Indiciū certum: velut olim Marte potentes
 Consiliū & sedes patrias defendere prompti
 Certarint: unde ipsis gloria parta perennis.
 Sunt ea magna satis: verum virtute suapte,
 Palladis & studijs proavorum extendere famam.
 Majus id esse puto: divinius æstimo munus.
 Hæc calcata tibi **V****V****O****L****F****G****A** **N****G****E** via ardua ab annis
 Primis: Musarū dum fervidus arma capessis
 Atq; Dices totū te flagrans occupat ardor,
 Fallor: an immensū patris superare benigni
 Nomen coneris: quem Misnica terra stupefcit
 Dum jus ac æquū vigil æqua lance ministrat.
 Quid themata enumeren juris, quæ præside **V****V**irthe
 Publicitus philyrejo defendare theatro
 Ausus es: augusta procerum mirante corona
 Juris: doctores philyre quos suspicialma?
 Perge patris magni spes maxima & acrius urge

Coceptum



Coeptum iter, ut quondam major cum venerit atas
Ardens te clarum deducat ad aethera virtus.

Benevolentia attestanda gratia apponebat

M. Martinus VVirth BolesL. Sil.

TE, VVolffgange, petunt Charites, te virgo Patrima,
Castalidum totus vendicat atq; chorus:

Hinc quantae lites, & jurgia quantae Dearum,
Dum primas juris quaeque tenere studet.

Sacra Themis, Dea pacis amans, ut nuper Ephebum

Te juris Latij promere verba videt,

Et multos legum nexus dissolvere ad unguem,

Ingenio facili judicioq; gravi.

Hic meus est, tantae, inquit, deponite lites,

Et potiora mihi cedite jura, precor.

Non rennuunt Charites, dicunt bona verba Camene,

Et quantum est superum plurima vota ferunt.

Tu generose, patris generosi, pergitis sanguis:

Nam nisi me fallunt omina, magnus eris.

Adamus Herre.

Quam Salana tuis Academia fratribus, annos
Ante duos palmam Juris in arte dabat:

Hanc Philyrea tibi confert, qui, tertius inter

Germanos, Themidis publica rostra petis.

Ac breve erit, modò tempus adest, ubi quartus ad istum

Germanus Cathedram perget adire modum,

Et raro & caro exemplo. Vix ullus Ephebus;

Artis quisq; tamen publica signa tulit.

Scilicet:

Sci licet hæc *patris* ad cunas *Lucina* sub alto
 Syderis aspectu, præscia fata canit:
 Ipsa domus cæli favet ac DEus; *Ipsè* age, *per se*,
Ac tua per thalami *pignora*, *magnus* eris.
 Nec fatum fatuum fuerat. Quod suspicis *alio*
 In *patre*, in gnatis pullulat omne *bonum*.
 Nobile nobilium genus est; *virtutis* avitum
 Semper *nativo* stemma *colore* novans,
 Sed, qui quadrifidâ generis (vel *Marte*, vel *Arte*,)
 Sic face stemma novet, vix feret ista dies.

Lipsia l. m. g. dab.

Georgius Baldermanus Dresdensis.

GRATA quidem effossi massa excellentior æris,
 Grata relucens spuma, ubi nata, meri.
 Grata oculos dapinans nativo gemma colore,
 Grata arbor densis si sit amicta comis.
 Grata aurescens vestis pellucida filo,
 Grata rosa, Idaliæ luxq; dolorq; Deæ.
 Grator at longè est tua disceptatio patri,
 Ære, mero, gemmis, arbore, veste, rosâ.

J. Reinhart Vinariensis.

FINIS.



01 A 6518

ULB Halle

3

002 937 514



VD 17

Zus. ✓



Fragment of text from the reverse side of the page, visible at the top edge.

Main body of text in a medieval Gothic script, arranged in approximately 25 lines. The text is written in black ink on aged parchment.

Handwritten marginal note in the left margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the left margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the left margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the left margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the left margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the left margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the left margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the right margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the right margin, starting with a large initial letter.

Handwritten marginal note in the right margin, starting with a large initial letter.

Large decorative initial letter 'B' in blue and red, marking the beginning of a section in the main text.





LV.

DISPUTATIO
*Ad L. quæ delegato, 46. ff. de Legat. 1.
una cum notat. per gl. & Dd.*

Quam
A. D. O. M.
sub presidio ordinario
V I R I

Amplissimi & clarissimi Dn.

MICHAELIS WIR-
THII LEOBERGENSIS J. U. D.
ET PROFESSORIS, DICASTERII
PROVINCIALIS SUPREMI, ET CON-
sistorij Electoralis apud Lipsienses ad-
fessoris meritissimi

Publicè discutiendam proposuit
VVOLEGGANGUS ERICUS
à Brandenstein

In schola Ictorum hora &
loco consuetis, 1. Febr.

Anno M. DC. X.

Lipsiæ
Typis TOBIÆ BERYI,
Valentin. Am Ende imprimebat.